

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](#)

autem nubes suffimenti propitiatorium, quod est super testimonio. conf. Ezech. X. 4. Operculum enim super arcam foederis, quod Christum *ἰλασήγειον* praefiguravit, Rom. III. 25. nebula obtegendum erat, ad imperrandam reconciliationem; hanc autem manifestatio gloriae diuinae secuta est.

§. XVI. En & Paulus ait: *DEO sumus bona fragrantia Christi*, pari ratione ac suffitus ille accensus suavis odoris. Omnes hic eminentissima quadam ratione typi affectiones, tanquam in antitypo inueniemus. Quis euangelii autor? Ipse Deus Pater coelestis, quoad decretum, cum Filio & Spiritu Sancto; quoad manifestationem, per Filium suum in tempore; ipse illud reuelatum dedit. Ioh. I. 18. Pater misericordiae, & Deus omnis consolationis, qui in ecclesia sua habitat, ut verbum euangelii semper triumphare faciat, ac odorem cognitionis vndiquaque manifestet. Ille, inquam, est, ad quem haec tendit *fragrantia Christi* Filii sui unigeniti, mediatoris Deum inter & homines peccatores pessimos. Hic summus sacerdos se ipsum obtulit, stitique se aeterno suo Patri cum merito & satisfactione aeternum valente, tanquam

quam odoramentum ; ut halitus de se ipso spar-
geret longe lateque fragrantes , Deo gratissi-
mos , hominibus saluberrimos . In diebus car-
nis sanctissimo suo ore euangelium praedicans ,
hunc odorem sine intermissione spirauit , eue-
ctus autem ad dextram potentiae Dei , per apo-
stolos , quos ipse constituit , eorumque , quos
illi initiarunt , successores , nunc ecclesiae mini-
stros , sparsit , & spargit adhuc . Hoc euangelii
odoramentum , cum ea in vniuersum omnia
exponat , quae a saluatore peccatores mortui ,
captiui , & damnati expetere ac exspectare pos-
sunt , odorem suauissime fragrantem exhalat .
Vnde hoc euangelio ad laudes Deo persoluen-
das incitamus , & quomodo Pater rite inuo-
candus sit , perspicue edocemur . *I. Cor. XII. 3.*
Illud ipsum etiam est , quod reconciliationem
cum Deo annunciat , & media ad eam perue-
niendi simul nobis exhibet ; quam ob rem mi-
nisterium euangelii ab apostolo non immerito
vocatur , διανοία τῆς καταλλαγῆς ministeri-
um reconciliationis , *II. Cor. V. 18.* Iugis erat ac-
cessio suffimenti , mane & vesperi : euangelii
visus eiusdemque ministerii , inter christianos
nunquam praetermittendus . Sacrum erat thy-

D miama,

miamā, nec vñquam sine summa reverentia eo
vtendum; sic haud impunem sinit supremus
iudex, verbi euangelii abusum atque profana-
tionem. Typicum illud odoramentum, ceu
nubes, propitiatorium tegebat. Hoc sine vlla
intermissione in conspectu Dei Patris versatur,
Christum vsquequaque circumdans, hunc effe-
ctum secum ferens, quod Patris gloria, quae
est in Iesu Christo, in toto orbe reuelatur. Hunc
in finem Paulus illud appellat Φωτισμὸν, illu-
minationem euangelii, gloriae Christi, qui est ima-
go Dei, II. Cor. IV. 4.

§. XVII. Vnguenti sacri, quo sacerdo-
tes initabantur, & vasa sacra consecrabantur,
recensio, eadem institui potest ratione; quippe
quod ex praestantissimis confectum aromati-
bus, fragrantissimum omnino edebat odorem.
Hoc Moses itidem confidere iussus est, ad vsum
tantummodo sacrum, vt nemo arcam foederis
attингere auderet, nisi hoc inunctus fuisset vnguento.
Sua autem sponte reliqua ex antec-
denti tractatione profluunt, neque his tempus
terere necessum erit. Addere praeterea pos-
sem sacrificiorum aliorum typicam recensio-
nem, corundemque applicationem, huc egre-
gie